

advertit, multos sensisse, quod in sola cordis contritione, etiam ante confessionem oris, peccata dimittantur : sed non ideo tamen confessionis sacerdoti faciendae necessitatem ac legem sustulisse; post contritionem enim cordis, confessionem quoque oris esse necessariam : quia (p. 499. H.) *si quis, etiam post impetratam veniam peccatorum, confiteri eadem peccata sua neglexerit, quasi institutionis divinae contemptor, reus... erit.*

RICHARDUS VICTORINUS de potestate ligandi et solvendi c. 5. (opp. p. 330. E.) *Vera poenitentia, inquit, est abominatio peccati cum voto cavendi, confitendi, satisfaciendi... solus sub hac conditione non tenetur, cui exsequendi facultas divinitus denegatur; et c. 8. nam si facere neglexerit, periculum aeternum non evadit.*

PETRUS BLESENSIS L. de Confessione sacramentali (opp. p. 437.) ejus necessitatem probat verbis S. Augustini, quae aliquoties jam recitavimus : *Nemo dicat, occulte confiteor, etc. Tum, si vero, inquit, pudor prohibeat confiteri; recolat, quomodo libri conscientiarum aperientur coram omnibus in die judicii.*

PETRUS LOMBARDUS 4. sent. d. 17. duas movet controversias, perinde ac Gratianus, alteram de vi contritionis; alteram vero deinceps de confessione; ibi autem sancit ex Jacobi mandato et plurium veterum dictis, *indubitanter ostendi oportere, Deo primum, ac deinde sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi, si facultas adsit.*

PETRUS PICTAVIENSIS sententiar. part. 3. c. 12. ait pariter, confessionem esse necessariam, et quidem sub poena peccati mortalis; cap. autem 13. eam fundat in Christi verbis et Apostoli jussu.

Igitur sapientes illi ac religiosi viri, quorum meminit Gratianus, non de confessione dubitabant aut disceptabant; sed de alio quodam capite prorsus diverso, hoc est, de contritionis efficacia.

Inst. 2. Glossa in princip. de Poenitentia dist. 5. dicit, ritum confitendi peccata institutum esse ab Ecclesia vel ab Apostolo Jacobo, quam, teste Navarro, secuti sunt nonnulli Canonistae. S. etiam Bonaventura d. 17. 5. p. a. 1. q. 3., Alexander 4. parte, q. 17. alias 76. membro 3. a. 2. docent, institutam quidem a Christo confessionem fuisse, sed non praecipitam; ergo confessio non est medium ita necessarium.

R. N. Cons. Sumpserunt ista ex Hugone Victorino L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 1.; at hic scribit, confessionem fuisse de jure divino legis veteris, et Christum Dominum non dedisse in hoc novum praecipitum, sed specialem modum priori addidisse; ergo existimabat Hugo, confessionem non fuisse juris humani, sed divini. Igitur S. Bonaventura et Aleensis docent, institutum quidem a Christo fuisse sacramentum confessionis quoad significationem et efficaciam, promulgatum vero tantum a Jacobo quoad praecipitum. Nam si confessionem Christus ipse non praecipisset, ab Ecclesia profecto tantum onus fidelibus imponi minime potuisset, ut pluribus ostendunt Scotus d. 17. q. 1., Durandus q. 8., Paludanus q. 2. a. 2., Sotus d. 18. q. 1. a. 1., Navarrus de Poenit. d. 5. n. 18., Canus et alii. Quorum sententiae etsi Adrianus et nonnulli Theologi repugnent; omnes tamen solide concludunt, praecipitum confitendi peccata antiquius omni canone humano esse, adeoque a solo Christo et Apostolis voluntatis divinae praecipitibus

Ecclesiae commendatum : nec fieri potuisse, ut legi humanae tam severae, tamque dubii juris non adversarentur Christiani proceres, aut nulli unquam ejus venia fieret. Hinc Jansenius in Concordia cap. 147. scribit, Apostolos ex Spiritus sancti inspiratione intellexisse, hanc fuisse Christi intentionem, eamque Ecclesiae tradidisse.

CAPUT II.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

QUAenam SIT HUIUS SACRAMENTI FORMA?

120. *Nota I.* Consuetam hujus sacramenti formam his verbis, *Ego te absolvo*, etc. comprehendi, legimus ex Conciliis Florentino in decreto Eugenii §. *Quartum sacramentum*, et Tridentino Sess. 14. c. 3. Formulam istam rejiciunt haeretici nostrae aetatis, quibus absolutio nihil est aliud, quam *ministerium annuntiandae remissionis peccatorum*, ut Melancthon in Locis an. 1543. editis scribit.

Nota II. Inter Catholicos Theologos quidam, quos alias indicabo, non probabant formam hanc per modum indicativum efferri, sed deprecando potius recitandam censuerunt.

Alphonso Tostato, 1. part. sui Defensorii c. 6. non videbatur dicendum, *absolvo*, quod magis proprie verbum, *remitto*, adhiberetur. Gabriel distinct. 14. q. 2. putat, addi debere, *ab omnibus peccatis*. Durandus d. 22. q. 2. invocationem SS. Trinitatis judicat esse de necessitate hujus formae. In quam sententiam Joannes Major et Petrus Sotus inclinant.

121. *Dico.* Forma hujus sacramenti conveniens et sufficiens sunt verba ista formaliter sumpta : *Absolvite*. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. et in 4. d. 22. q. 2. a. 2. et Theologi communiter.

Prob. 1^a pars argumento S. Thomae. Cum sacramenta novae legis efficiant, quod significant, forma debet significare id, quod in sacramento agitur proportionaliter materiae sacramenti. Atqui poenitentiae sacramentum non consistit, ut reliqua, in consecratione alicujus materiae, nec in usu alicujus materiae sanctificatae, sed in remotione materiae cujusdam, prout peccata dicuntur esse materia poenitentiae. Talis autem remotio significatur a sacerdote, cum dicitur : *Ego te absolvo*. Nam peccata sunt quaedam vincula, secundum illud Prov. 5. v. 22. Iniquitates suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum quisque constringitur : Unde haec est convenientissima forma.

Conf. 1. Ut significetur effectus hujus sacramenti, necesse omnino est verbum, *absolvo*, aut simile aliud adhiberi: opus item est pronomine, *te*, ut significetur persona, cui effectus impendatur; ergo hæc duæ voces requiruntur ad constituendam essentiam formæ hujus sacramenti.

Conf. 2. Sacerdos est vere iudex a Christo constitutus, ut supra probavimus; ergo convenienter utitur verbis illis, *absolvo te*: ejus enim sententia ex institutione Christi est infallibilis, et simul cum ipso et per ipsum Deus judicat, quin ideo sacerdoti auctoritas divina, aut potestas excellentiæ tribuatur.

Prob. 2^a. pars. In sermone etiam vulgari cum deprecantibus dicimus, *condono tibi, vel remitto tibi*, remissionem offensæ et injuriæ a nobis fieri indicamus: et in judiciis civilibus hæc duo verba, *absolvo te*, sufficiunt ad reum liberum pronuntiandum; ergo etiam sufficient in sacramento poenitentiae ad totum formæ effectum exprimendum.

122. *Obj. 1.* Per verbum indicativi modi proprie sumptum potius significatur remissio principalis, seu, ut vocant, auctoritativa; ergo verba hæc, *absolvo te*, non convenienter adhibentur in formam sacramenti.

R. D. Ant. Per verbum indicativi modi significatur remissio principalis, si non restringatur a persona et intentione proferentis *C.* secus *N.* Sacerdos est tantum *minister Christi et dispensator mysteriorum Dei*, ut protestatur Apostolus 1. Cor. 4. v. 1. nec alio nomine actionem aggreditur, nisi tanquam iudex ministerialis. Excellit tamen iudicem humanum inferiorem, quod hujus sententia non sit omnino firma et irrevocabilis seu definitiva, donec per superiorem confirmetur: at sententia sacerdotis ultima sit et definitiva, cum sit vere simul sententia Dei ut iudicis principalis, ac sacerdotis ut ministri.

Inst. Reatus poenæ est quoddam vinculum morale; non vero peccata sunt vincula, quæ solvi possint, sed sunt potius injuriæ et offensæ, quæ remittantur, et Christus tantum dixit: *Quorum remisistis*; ergo improprie et contra Christi institutionem adhibentur, *absolvo te*.

R. N. Ant. Licet poena sit actus, ad quem sontes ligantur, tamen funes, quibus ligantur, sunt ipsa peccata, quæ illos constringunt et detinent ad supplicium, ut sine gratia Dei illis expedire se non possint. Hinc Isa. 52. v. 2. dicitur: *Solve vincula colli tui*. Et 58. v. 6. *Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes*. Ps. 148. v. 61. *Funes peccatorum circumplexi sunt me*. Christus etiam Matth. 16. v. 19. ait: *Quodcumque solveris super terram*, Et. c. 18. v. 18. *Quæcumque solveritis*.

Non ergo debebat Tostatus offendi hac voce, *absolvo*, neque in re tantilla discrepare ab usu communi et traditione Ecclesiæ. Cum verbum, *absolvo*, sit usitata in omnibus judiciis formula: e contra vox, *remitto*, latius pateat, et a quocumque privato injurias aut debita condonante adhiberi soleat.

123. *Obj. II.* Sacerdotes absolventes solent certas in ritualibus præscriptas preces præfari; dicunt semper: *Absolvo te a peccatis tuis*: et Concilia dum dicunt formam esse, *absolvo te*, addunt, *et cætera*. Ergo hæc duo verba, *absolvo te*, non sunt forma sufficiens ad hoc sacramentum perficiendum.

R. N. Cons. Hoc solum ex argumento sequitur, verba illa, cum distincta

invocatione SS. Trinitatis, ex necessitate præcepti esse adjungenda: eo quod in sacramentorum administratione teneamur servare ritus ab Ecclesia præscriptos, ut jubet Concilium Tridentinum Sess. 7. can. 13. de Sacram. in genere. Quod etiam accipiendum de præscriptis precibus est, nisi harum omissionem necessitas, aut poenitentium copia suaserit. Loquendo ergo de necessitate absoluta, pronomen, *ego*, sine dubio redundat, cum illud persona prima, *absolvo*, necessario contineat.

Inst. 1. Verba quæ requiruntur ad completam significationem et sensum formæ, sunt de formæ essentia: atqui verba, *a peccatis tuis*, determinant significationem verbi, *absolvo*, quod alioquin est indifferens ad liberandum a censura, poena, aut peccato; ergo saltem illa verba sunt de essentia hujus formæ.

R. D. Assumpt. Verbum, *absolvo*, secundum se ac seorsim spectatum indifferens est ad quamlibet absolutionem *C.* supposita confessione, super quam cadit, est ita indifferens *N.* In hisce circumstantiis satis determinatam habet significationem. Sicut enim forma ultimo determinat materiam, ita vicissim forma a materia solet determinari. Quapropter S. Thomas sup. cit. verba illa, *a peccatis tuis*, ad formæ essentiam non requirit; neque illa necessaria esse censent S. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 21. §. 1., Sylvester et Cajetanus, in Summa, verbo *Absolutio*, Navarrus, Sotus, Suarez et Theologi plerique. Quod si quis illa etiam adjecerit putans, ad formæ essentiam ea spectare, non continuo formæ substantiam component, aut effectus sacramenti tunc demum produceretur, quando desierint efferi: neque enim cum essentia sacramenti posita fuerit, ejusdem effectus suspensio ex ministri arbitrio amplius pendet.

Inst. 2. Unicum verbum, *absolvo*, prolatum a iudice civili, ob circumstantias accusationis ac defensionis, sufficit ad reum ab omni criminatione absolvendum; ergo idem unicum verbum ob similes circumstantias a sacerdote prolatum sufficit ad poenitentem peccatis absolvendum, quin dicatur, *absolvo te*.

R. N. Cons. Ratio discriminis apparet ex iis quæ dicunt Theologi in tract. de Baptismo, ubi probant, exprimendam esse personam, quæ baptizatur, quod etiam in sacramentis cæteris locum habet. Sicut enim verbum, *baptizo*, non satis significat actum determinatum ad personam et tempus, cui actio applicatur: ita etiam verbum, *absolvo*. Quam Christi institutionem, tanquam quæstionem facti melius ex consensu Doctorum, et decretis Conciliorum intelligimus, quam ex usu fori civilis, cum quo sacramenti hujus administratio in non paucis convenire non potest.

Inst. 3. Sacerdos exhibere se debet absolvendo ut Dei ministrum: atqui hoc præstat dicendo: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*; ergo hæc SS. Trinitatis invocatio videtur necessaria esse ad essentiam formæ hujus sacramenti, sicut requiritur etiam ad formam baptismi.

R. N. Cons. Non est necesse, ut in omnibus sacramentis causa principalis exprimat. Christus diserte jussit baptizari *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Et baptismus est janua Ecclesiæ, et solemnis professio fidei explicitæ in SS. Trinitatem, quæ per se loquendo ac primario est necessaria in lege gratiæ. In sacramento autem poenitentiae ratio ista congruentiæ locum non habet: nec verba Christi Joan. 20. nec Ecclesiæ traditio suadent, hanc

SS. Trinitatis invocationem in absolutione usurpandam esse, quippe quae duodecim prioribus seculis nec in latina, nec in graeca Ecclesia fuit usurpata. Hinc S. Thomas nuper cit. scribit, nullum extare de hac re Christi praecipuum, sed hoc relinqui arbitrio sacerdotis. Quod autem adjungit Conc. Tridentinum, et caetera, indicat, se quaestiunculas illas Doctorum disputationibus relinquere.

ARTICULUS II.

AN AD FORMAM SACRAMENTI POENITENTIAE SUFFICIENT VERBA PRECATORIA ?

124. *Nota I.* Clavem sacerdotis non se extendere ad remissionem culpae nisi per modum deprecationis, censuerunt olim S. Bonaventura d. 18. a. 2. q. 1. et 2., et Alexander q. 8. et Guillelmus Paris. c. 9. de Sacram. Poenit. Hi sine dubio sufficientem esse pronuntiabant formam deprecatoriam sive impetratoriam. Quibus accesserant Joannes Mayro d. 14. q. 2. Dom. Sotus d. 3. a. 5. palam affirmans, formam hanc esse validam: *Absolvat te Christus.*

Joannes Morinus L. 8. de administratione Sacram. Poenit. c. 12. testimoniis quam plurimis ostendit, Graecos quovis seculo absolutionem sacramentalem expressisse, ac nunc etiam exprimere verbis deprecatoriis. Id quod etiam in Ecclesia latina jugiter factum fuisse usque ad seculum duodecimum fuisse probat idem Morinus c. 8. 9. et seqq.

Nota II. Advertit hic Suaresius d. 19. sect. 1. n. 25. verba precatoria seu impetratoria bifariam posse accipi; scilicet formaliter, prout nimirum non habent sensum alium, quam deprecandi; materialiter autem accipiuntur eadem verba, quae cum in sensu deprecandi proferri possint, proferuntur modo et intentione impetrandi: ut si quis pro potestate verba ista, *Absolvatur Petrus*, tanquam actum judiciale proferat, ait esse aequipollentia formae communi, qua sacerdos Petro dixerit: *Absolve te.*

125. *Dico.* Forma sacramenti poenitentiae non potest esse mere precatoria aut impetratoria. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 1. Scotus, Durandus, Paludanus, Gabriel et reliqui in 4. d. 14. Petrus Sotus lect. 4. de Confess., Navarrus c. 1., de Poenit. dist. 6. num. 9., Suarez, etc.

Prob. I. Christus dedit Apostolis potestatem ligandi et solvendi, eosque iudices constituit, quibus facultas sit remittendi et retinendi peccata: atqui iudex exsequens munus suum, ac decidens causas, profert sententiam suam asserendo, vel negando, neque utitur forma deprecatoria, aut aliena ope fieri postulat, quod sibi injunctum est; ergo.

Prob. II. Cum novae Legis sacramenta efficiant, quod significant, ac vicissim significant, quod efficiunt, forma poenitentiae debet significare, quod minister efficit: at hic non tantum exorat, et impetrat peccatorum remissionem, sed hanc facit, et pro potestate confert; hinc S. Scriptura non meminit precum a sacerdote adhibendarum, neque ait: *Quibus solutionem aut remissionem peccatorum postulaveritis, soluta et remissa erunt, sed quaecumque solveritis, quorum remisistis peccata.* Ergo illa tantum soluta erunt, quae habens claves et potestatem solverit: nam qui petit aliquid solvendum aut remittendum, non solvit, aut remittit.

Prob. III. Concilia Florentinum, Tridentinum et Moguntinum c. 24. (Lab.

t. 14. p. 677. D.) praescribunt sacramento poenitentiae administrando formam simpliciter enuntiativam, ut solet adhiberi in judiciis, et nusquam pure deprecativam: imo Synodus Tridentina Sess. 14. c. 3. diserte protestatur, *preces quasdam de Ecclesiae sanctae more laudabiliter quidem adjungi; ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectare, neque ad ipsius sacramenti administrationem necessarias esse.*

B. Thomas autem Opusculo 22. scribens contra quemdam sua aetate contententem pro forma deprecatoria, ait sententiam istam esse *praesumptuosam, ne dicam, erroneam.* Tum vero subdit: *Miror, qua temeritate aliquis asserat esse solum, quem habens claves non significat se solvere, sed solum rogat esse solvendum.*

126. *Obj. I.* Christus reliquit Ecclesiae arbitrio, determinare formam sacramenti poenitentiae; ergo perinde est, sive haec utatur forma deprecatoria, sive huic plusquam undecim seculis usitatae formam enuntiativam substituerit.

R. D. Ant. Reliquit Ecclesiae arbitrio determinare formam, cujus significatio effectui respondeat C. quae non significet, quod efficit sacramentum N. Si forma hujus sacramenti tot seculis deprecatoria fuisset, non ausus fuisset S. Thomas seculo duodecimo proximo, sententiam asserentem, quod haec sufficiat, tam acri censura perstringere, et ex verbo Dei probare, quod nullo modo ad absolutionem idoneae sint haec voces, *absolutionem et remissionem tribuat tibi Deus*, ut c. 1. opusculi citati argumentatur. Deinde nullum potest Concilium vel statutum produci, quandonam haec voces, *absolve te*, fuerint institute, et sua vis formalis deprecatoriis adempta, cum nihilominus a seculo duodecimo usque ad nostra tempora precandi formulae verbis, *absolve te*, et praemitti soleant, et subnecti.

Inst. 1. Sicut ex verbis illis Jac. 5. v. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum*, etc. colligimus, formam extremae unctionis deprecatoriam esse: ita cum mox subjiciat Apostolus: *Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini*, pari ratione hoc idem de forma poenitentiae sacramenti demonstrabimus.

R. N. *paritatem.* 1°. Quia sequela contradicit Concilio Tridentino, quod formas deprecantes ab essentia sacramenti poenitentiae penitus arceat. 2°. Quia B. Jacobus per verba, *confitemini*, etc. sacramentum quidem confessionis indicat; sequentibus tamen verbis, *orate pro invicem*, etc. solum preces ferventes justorum omnium intelligit, quae vim sacramenti non habent, sed impetratoriam solam ex opere operato, ut ratio mox addita indicat: *Multum enim valet deprecatio justis assidua. Elias erat homo similis nobis, et oravit, ut non plueret, et non pluit annos tres*, etc. Quin etiam, si juxta vocis graecae significationem accurate sententia Apostoli latine reddatur, ita sonat: *Precamini pro vobis mutuo, ut sanemini, ὁπως ἰαθῆτε*: unde beneficium temporale solum tali oratione impetrandum colligimus. 3°. Certum est, illis verbis Apostoli promulgari institutionem unctionis extremae: ita enim declarat Synodus Trident. Sess. 14. c. 1. de Extr. unct. At poenitentiae sacramenti institutionem malunt Patres deducere ex illis verbis Joan. 20. *Quorum remisistis peccata*, etc. ut eadem Sess. de Sacram. Poenit. cap. 1. et seq. tradunt, Sicut ergo Ecclesia materiam et formam unctionis